



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Cap. IV. De Injuris Contra famam & honorem per judicium temerarium,
detractationem, calumniam, & contumeliam, & de necessaria restitutione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

CAPUT IV.

*De Injuriis contra famam, & honorem per
judicium temerarium, detractionem,
calumniam, & contumeliam, & de
necessaria restitutione.*

Q. I. **Q**uale peccatum est judicium temerarium, item suspicio, ac dubitatio temeraria?

Not. Dubitatio est suspensio intellectus inter assensum, & dissensum. Suspicio est inclinatio seu concitatio mentis ad assentiendum uni parti, sic tamen ut nondum absolute ei assentiat. Judicium est assensus mentis, qui si sit cum formidine oppositi, dicitur opinio: si sine tali formidine, vocatur judicium firmum. Hi actus sunt temerarii, quando sine sufficientibus indiciis, seu rationibus concipiuntur: nam si ex sufficientibus motivis, non sunt temerarii, ut si judices Petrum esse injustum, quia usuras exigit. Caritas tamen postulat, ut dum opus externum excusare non potes, excuses intentionem, vel indeliberationem, si possis, aut totum Deo discutiendum relinquant. Porro majora indicia requiruntur ad prudens judicium, quam ad suspicionem, vel dubitationem, cum plus sit judicare, quam suspicari, vel dubitare.

Resp. I. Temerarium de re gravi proximum

infamantē iudicium etiam opinativum, quod cum plena advertentia concipitur, est mortale contra iustitiam. *Ita omnes de iudicio firmo, & communis est inter Recentiores, teste De Lugo, de iudicio etiam opinativo, ac formidoloso. Prob. 1. ex Luc. 6. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. & Jac. 4. Qui iudicat fratrem suum detrahit legi, & iudicat legem. Ubi generatim, & indistinctē prohibetur graviter omne iudicium temerarium, & proinde non solum firmum, sed etiam opinativum. 2. Quia per illud fit gravis iniuria proximo: nam graviter violatur jus, quod habet, ne sine sufficienti causa iudicetur malus, aut vilis, & perdat bonam existimationem apud alium; hocque homines molestissimē ferre solent. Quare est obligatio illud iudicium statim deponendi, ut tollatur iniuria. 3. Ex hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitē contemnit ipsam; & ideo iniuriatur ei, ait S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 1. ad 2.*

Dixi, 1. *Temerarium*; nam iudicium de personis, licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omnino temerarium, ait S. Thom. quodlibet. 12. a. 34. proximus non habet ius, ut æstimeretur probus ab eo, cui crimen eius sufficienter cognitum est.

Dixi 2. *Cum plenā advertentiā*; nam potest esse veniale non solum ob levitatem materiae, & temeritatis, sed etiam ob defectum plenae adver-

advertentiæ. Imò nullum est, si sit ex sola intellectu promptitudine absque ullo deliberato voluntatis consensu conceptum. Sed ubi primum advertis te sic malè iudicare, peccas perseverando in eo iudicio, utpote mortali, posita plenâ advertentiâ cum gravitate materiæ.

Porrò ad temeritatem mortalem non requiritur advertentiâ actualis ad insufficientiam iudiciorum, seu motivorum, si mala præoccupatio, voluntaria passio, invidia, vel odium sit causa præcipitationis iudicii, & defectûs advertentiæ actualis; nam tunc temeritas illa est sufficienter voluntaria in causa, nempe in mala affectione; & inadvertentiâ insufficientiæ iudiciorum est vincibilis, ac culpabilis.

Resp. II. Suspicio, & dubitatio voluntariæ graviter temerariæ in re valdè gravi, & cum advertentiâ plenâ, sunt peccata mortalia, saltem si ex pravo affectu, & malevolentiam nascantur. *Ita De Lugo, Lessius & alii multi.* Quia 1. ad Tim. 6. inter gravia peccata numerantur suspensiones malæ. 2. Ex S. August. Epist. 137. *Ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando pereatis, illud apostolicum recordamini: Nolite ante tempus iudicare.* 3. Tunc fit gravis iniuria proximo: nam quisque habet ius, ne quisquam de ipso sine sufficienti causa malè opinetur, suspicetur, & de sua probitate dubitet, illudque ius graviter violatur in re valde gravi. Et nullus est prudens, qui non putet gravem

sibi iniuriam fieri, indéque gravem molestiam sentiat; nec eum, qui ita de se suspicaretur, haberet in numero suorum amicorum. Imò in dubitatione illa continetur iudicium: nam qui sic cum plena deliberatione dubitat, non solum suspendit assensum, sed etiam iudicat ambiguum esse probitatem proximi, nec eum posse prudenter iudicari probum.

Quare cum S. Aug. tract. 90. in Joan. ait suspiciones temerarias ad tentationem humanam pertinere, sine qua duci non potest ista vita; & S. Thom. q. 60. a. 3. dicit dubitationem temerariam esse venialem, intelligi debent de repentinis nondum satis deliberatis, vel leviter temerariis, & ex humano errore non ex malevolentia conceptis. Et ideo multi docent peccare solum venialiter eum, qui de gravi malo proximi suspicatur, vel dubitat ex solo errore intellectus, quo apprehendit indicia, ob quæ suspicatur, tanquam sufficientia ad suspicandum, paratus suspensionem deponere, ubi melius adverterit: tum quia temeritas illa non est omnino voluntaria, cum non ex malitia, sed ex solo humano errore, & fragilitate suspicetur: tum quia indicia, propter quæ suspicatur, non carent omni verisimilitudine ad suspicandum; quando enim suspicio non est ex malevolentia, sed ex solo humano errore, indicia non carent omni probabilitate.

Observa 1. Materia, quæ in detractioe ad mortale

mortale sufficit, hinc quoque sufficit: hinc materia gravis censetur non solum peccatum mortale, sed etiam habitus peccati venialis, spectatis statu famâ & qualitate personæ; vel defectus inculpabilis, sed infamans, seu unde quis notabiliter vilescit in animo iudicantis, vel in contemptum adducitur, ut esse fatuum, spurium, &c. ergò mortaliter peccas si temerè iudices, vel suspiceris Religiosum habere consuetudinem mentiendi, esse vanum, regulas suas negligere, orationi non vacare, &c. aliquem esse fatuum, & officio, ac honore indignum, &c.

Observ. 2. Quamvis certum sit opus ab aliquo factum esse mortale ex genere suo, non idè tamen potes iudicare proximum certò peccasse mortaliter: quia potest excusari coram Deo, ob imperfectam deliberationem, vel inconsiderationem, aut ignorantiam invincibilem: item incertis rumoribus de proximi crimine vel malo infamante fides nulla adhibenda est, nam rumores incerti non possunt fundare iudicium prudens, & semper extra necessitatem animus à dubitatione, suspicionem, & iudicio de peccatis alienis cohibendus est, ut vitetur periculum temerè iudicandi, vel suspicandi cum iniuria proximi.

Sed hinc quæri potest utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?

Resp. I. Dubia de personis ad bonam, vel ma-

lam existimationem pertinentia, sunt in meliorem partem interpretanda: est commun. Prob. 1. ex S. August. 1. 2. de Sermone Domini in monte c. 18. *Nolite judicare, ut non judicemini, &c. hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur... de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus.* 2. Ex S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4. *Ex hoc ipso, quòd aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficiente causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcunque inferre absque causa cogente; & ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* 3. Quia maximè cavendum est, ne fiat injuria proximo; & de possessione bonæ famæ injustè deiciatur. Sic autem hæc dubia in meliorem partem sunt interpretanda 1. Negativè, ita ut in dubio etiam positivo nunquam judices, opineris, vel suspiceris proximum esse improbum vel peccasse graviter: alioqui peccares contra Justitiam, inferendo malum proximo, sine sufficiente, & justa causa: quisque enim jus strictum habet, ne ei malum sine justa causa inferatur: haberi autem improbus est malum proximi grave, utpote per se concitativum gravis molestiæ. Et dubium etiam positivum non est sufficiens, nec justa causa judicandi proximum peccasse:
incer-

incertum enim crimen non est sufficiens, & justa causa eum privandi bonâ existimatione, quàm possidet

2. Positivè, practicè, hoc est, ut in praxi, & vitæ civilis usu, ubi de cautela non agitur, affectu interno, & externo modo agendi proximus tractetur tanquam si revera esset probus, ei præstando consueta honoris, & urbanitatis officia, perinde ac si nullum esset de ejus probitate dubium: nam illis proximum ob dubium exortum privare iniquum esset, & contra has regulas charitatis: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris: Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Item quoties pravus in proximum animi motus vincendus est, aut vis hîc & nunc statuere apud te quo loco sit habendus, aut periculum est, ne bona opinio de eo à te concepta minuatur, si judicium suspendas; tunc judicare debes positivè eum habendum ut virum probum, nec ob dubium exortum bonam de eo opinionem minuendam esse.

Dixi de personis. Nam dubia de rebus putà, an contractus talis sit licitus nec ne, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis momentis æstimanda: quia tunc id unum agitur, ut cognoscatur veritas, & vitetur illicitum, nec timendum ne cuiquam inferatur injuria, & ex eo nihil boni, vel mali accrescit rei.

Resp. II. Cùm agitur de damno vitando, vel
remo-

remedio adhibendo, dum non constat de probitate proximi, *ex communi* licet sibi, & aliis consulere, & eam cautionem adhibere, quam prudentia dicitur adhibendam, supposito quòd esset malus, non tamen de eo malè iudicando, aut suspicando. Quia tunc nemini inferitur injuria, vel damnum: licitum est autem sibi, & proximo sine cujusquam injuria providere. Hinc non peccas dum excipiendo ignotum in aedes tuas, ita caves rebus tuis, ac si dubia esset hominis probitas.

Q. 2. Quid est detractio, contumelia, & calumnia?

Not. Fama est existimatio bona de aliquo, qua putatur bonus, & habilis ad aliquem bonum usum. Sive est existimatio seu opinio excellentiæ alterius. Honor est testificatio excellentiæ alterius animo conceptæ. Excellentia autem, quam spectat fama & honor, consistit primariò in virtute, ac sapientia earumque functionibus, quæ homines verè laudabiles reddunt: secundariò autem in aliis perfectionibus, ut sunt ingenium, doctrina, nobilitas; item quoad honorem potestas, sive Ecclesiastica, sive Sæcularis, dignitas Principii, quæ inest parentibus, &c. Imò id quod singularem quemdam ad has perfectiones ordinem habet, vel ut instrumentum virtutis, vel ut ejus effectus, est etiam ratio honorandi, ut nobilitas, quæ ex præclarè gestis orta est.

Hinc

Hinc fama, & honor inter se differunt, cum fama sit opinio de excellentia alterius, honor verò externa testificatio nostræ opinionis de excellentia alterius.

Resp. I. Detractio est injusta ademptio, seu læsio bonæ famæ alterius in ejus absentia: nam si quis coram altero famæ ipsius detrahat, jam non erit simplex detractio, sed etiam contumelia, qua coram violatur honor alterius.

Ex S. Thoma fieri potest detractio octo modis. 1. Falsum crimen, vel defectum imponendo. 2. Verum amplificando. 3. Occultum detegendo. 4. Sinistrè interpretando factum alterius. 5. Rectè facta, vel dotes alterius negando. 6. Illa extenuando. 7. Silendo ubi silentium æquivalet confessioni defectûs proximi, ut quando ex silentio intelligi facile potest alium, vel non esse laude dignum, vel non tantâ, vel habere aliquem defectum. 8. Simulatè, vel remisè, aut frigidè laudando, juxta hos versus.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Qui negat, aut reticet, minuit, laudatve remisè.

Resp. II. Calumnia est falsi criminis, aut defectûs impositio. Unde est species detractio- nis omnium gravissima ex genere suo; cum superaddat detractio- ni genericè sumptæ mendacium perniciosum.

Resp. III. Contumelia est injusta inhonora-
tio

tio personæ præsentis, seu læsio honoris alterius sine justa causa, & auctoritate coram eo facta, sive dictis, sive factis: ut crimen, vel defectum, vel malum pœnæ alteri præsentis obijciendo, ex animo illum inhonorandi, vel ejus imaginem conculcando, ipsum percutiendo, repræsentando aliquid quod honorem illius lædat, ei maledicendo, conviciando, eum illudendo, irridendo, &c.

Q. 3. *An & quando detractio, calumnia, & contumelia sunt peccata mortalia?*

Resp. I. Hæc tria sunt ex genere suo mortalia contra Justitiam. *Ita omnes.* Nam 1. ad Rom. 1. detractores, & contumeliosi dicuntur esse digni morte. 2. Per detractiōem, & calumniam proximus iniuste læditur in fama, per contumeliam in honore: quæ sunt bona præstantiora divitiis, & ad quæ proximus Jus habet. Quare hæc tria sunt peccata graviora furto; quod ex genere suo mortale est; nam (ut ait S. Th. 2. 2. q. 73. a. 3.) *Peccata, quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se secundum nocumenta, quæ proximo inferuntur. Tanto autem est majus nocumentum, quanto majus bonum demitur.*

Dixi, *ex genere suo*, nam possunt esse venialis culpa 1. Ob defectum sufficientis advertentiæ. 2. Ob levitatem materiæ, ut si narretur levis aliqua alterius imperfectio. Plures tamen ejusdem defectus leves alteri detegere, potest esse

esse mortale: quia possunt tandem collecti lædere graviter bonam existimationem illius. Item cum peccatum convitii, vel contumeliæ, ex animo dicentis dependeat. (inquit S. Thom. q. 72. a. 2. ad 3.) Potest contingere, quòd sit peccatum veniale, si sit leve convitium, non multum hominem debonestans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem debonestandi, puta cum aliquis intendit aliquem per hujusmodi verbum leviter contristare. Porro ad 2. ait: sicut licitum est aliquem verberare, vel in rebus damnificare causâ disciplina, ita etiam causâ disciplina potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod conviciosum dicere, & hoc modo Dominus Discipulos vocavit stultos, & Apostolus Galatas insensatos. Et ita excusari possunt plura verba contumeliosa parentum in filios, & Dominorum in servos. Rarò tamen adhibenda sunt verba contumeliosa in correctionibus; quia sæpè potiùs exacerbant, quàm emendant, & subditus facilè putat ea potiùs ex aliqua animi passione, quam ex charitate proficisci.

Resp. II. Detractio omnis, licèt fiat solùm ex quadam animi levitate, vel loquacitate, & sine intentione lædendi proximum, est ex genere suo mortalis culpa contra justitiam, Prob. 1. ex 1. ad Cor. 6. Neque fures... neque maledici regnum Dei possidebunt. & Jac. 4. Nolite detrahare alterutrum. Qui detrahit fratri... detrahit legi. 2. Quia injusta, ac voluntaria læsio

læsio famæ proximi est gravius peccatum, quàm furtum: nam per eam aufertur fama, quæ est bonum majus divitiis, quæ per furtum auferuntur, juxta illud Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Sed detractio facta ex mera loquacitate, & sine animo lædendi proximum, est læsio famæ proximi injusta, ut patet; nam proximus habet jus, ne ejus fama lædatur ex quocunque sine, ac modo; & est etiam voluntaria saltem indirectè, & implicitè, cum voluntariè dicantur ea, ex quibus per se sequitur læsio famæ proximi: ad mortale autem sufficit voluntarium indirectum. *Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè verbum, quod dicitur, sit adeò grave, quod notabiliter famam alicujus lædat: & præcipuè in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ; quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis.* ait S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2. Unde tum est obligatio restituendi, ex cap. ult. de Injur. *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* ibid. Idem dic de contumelia, qua notabiliter honor proximi læditur, etiamsi sine animo lædendi proferatur; quia semper est mortale voluntariè etiam indirectè inferre sine justa causa damnum notabile proximo, ex quovis motivo: inferitur autem voluntariè damnum grave in honore, quoties proferatur aliquid, quod

quod prævideretur, vel prævideri potest aptum esse ad lædendum notabiliter honorem, & contristandum graviter proximum.

Cæterum detractio, quæ fit per libellum famosum, pejor est, cæteris paribus, quam quæ voce fit; quia infamia ad plurimos permanat, & vix potest aboleri. Unde morte punitur, & qui talem libellum spargit, & qui inventum vulgavit. l. un. Cod. de Famoso Libello. Jure etiam Canonico gravissimè prohibetur, tum causa, s. q. 1. tum in Bullis Pii V. & Greg. XIII. Item pejor est, si fiat in aliquam communitatem, capitulum, ordinem religiosum: quia plures læduntur in famâ, & ita damnum majus est.

Resp. III. Ex communi, detractio, & contumelia sunt culpa mortalis, quoties sine justa causa graviter læditur fama, vel honor proximi, licet absque animo graviter lædendi: nam mortale est notabile damnum sine justa causa inferre proximo. Venialis verò, si non graviter lædatur; nam levitas damni excusat à mortali: nisi fiat ex intentione graviter nocendi, vel prævideatur gravem dolorem concitatura proximo.

Graviter autem, vel leviter læditur fama, vel honor pro gravitate, vel levitate materiæ, spectatis omnibus circumstantiis, præsertim personæ læsæ: nam gravitas, vel levitas materiæ hinc præcipuè spectanda est relatè ad personam læsam, & ejus famam: fieri enim po-

test, ut, quod respectu unius est materiale levis, sit gravis respectu alterius, si sit persona magnæ auctoritatis, & famæ valde integræ, aut quæ obligetur ad majorem vitæ sanctitatem: ut si de puero, vel vili famulo dicas, quòd sapientiatur, censetur leve; at si hoc dicas de Episcopo, Sacerdote, Religioso bonæ famæ, vel Laico honorato est grave: nam per hoc graviter læditur fama illorum, cùm ii, qui mentiri consueverunt, parvi fiant, præsertim si ex statu, munere, officio, cæteris virtute præstare debeant. Regula ergo universalis, inquit De Lugo, ad gravitatem detractionis desumenda est ex circumstantiis personæ, defectûs, qui narratur, existimationis, quam persona illa apud homines habet, & similibus, in quibus si grave detrimentum, prudentis arbitrio famæ inferitur, detractio erit gravis: sin minùs, erit levis.

Item contumelia in se levis potest esse gravis respectu personæ, cui inferitur, ut si sit superior, Pater, &c. Imò semper mortalis est, quoties fit ex animo graviter dedecorandi, vel contristandi proximum; nam sola voluntas gravis mali proximo creandi sine justa causa est mortalis. Econtra si convitium absolute, ac in se grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut morem patrium loquendi, grave esse non censeatur, veniale esse docent multi, qui mortalis non damnant pueros, mulierculas, ac viros infimæ sortis, cùm certis con-

convitiis, ac contumeliis apud plebeios usitatis se laceffunt: quia honor vulium personarum his injuriis non censetur graviter lædi, nec his fides adhibetur. Excipe nisi sit intentio graviter lædendi, vel contristandi, nam hæc mortalis est.

Hinc 1. mortaliter peccat, qui detrahit cum animo notabiliter lædendi famam proximi, vel absque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat causam talis læsionis, advertens, vel advertere debens probabiliter ex suo dicto, vel facto tale damnum inferri. *Navar.*

2. Narratio defectus venialis plerumque est solum venialis; quia non solet graviter lædere famam proximi, cum etiam justi sine culpa veniali non vivant, *in multis enim offendimus omnes.* Jac. 3. Est tamen mortale dicere de quibusdam personis in munere, vel statu majorem perfectionem exigente constitutis, v. g. Episcopo, Religioso, &c. quod habeat consuetudinem alicujus peccati venialis, v. g. quod sæpè plus justo bibat, sit vanus, &c. Nam in talibus id censetur magni momenti, & eorum fama multum inde imminuitur, & ideò despiciuntur.

3. Quamvis possit esse solum veniale referre, aut exprobrare defectus naturales, & involuntarios, ut ingenii, corporis, fortunæ, cum hi defectus non sint culpabiles; tamen mortale est, si fama, vel honor inde graviter lædatur, vel si proximus graviter contemnendus sit,

viliórque apud alios reddatur, ut si extra casus exceptos de viro honorato, qui habetur nobilis, dicas esse ignobilem, ejus parentem poenam infamantem subiisse; item si inde grave damnum alteri sequatur; vel si in faciem exprobratur convitiandi causâ, etiam vili personæ, quæ gravem inde moerorem patiatur: nam mortale est sine justa causa contristare graviter proximum, vel grave damnum ei inferre. Ideò per se mortale est narrare defectum occultum natalium, v. g. si dicas de aliquo eum esse illegitimum; nam hoc vilitat hominem, idque molestius ferre solent homines, quàm si de illis referatur grave peccatum.

4. Ex *Navar.* detractio, quæ generalibus nominibus vitiorum tam mortalia, quàm venialia comprehendentibus fit, ut si dicas aliquem esse avarum, iracundum, &c. mortalis est, quando cum damno notabili, aut magno ejus periculo fit, aut coram talibus, qui probabiliter existimari possunt tam maculas mortales, quàm veniales concepturi; nisi de solis venialibus, vel de sola naturæ propensione verba fieri admoneantur: nam alioqui graviter læditur fama,

5. Peccat mortaliter, qui nullum defectum in particulari de proximo detegit, sed solum in genere dicit se de illo aliquid scire, quod nemo de illo facilè suspicaretur, vel quod illum magno pudore afficeret, si diceretur;

item

item si dicas illum non esse eum, qui communiter habetur, &c. Tunc enim graviter læditur fama proximi, & sæpe gravius, quàm si gravis ejus defectus nominatim detegeretur: nam ex hoc obscuro loquendi modo grave aliquid, imò sæpe longè deteriora latere audientes intelligunt, vel suspicantur, quàm fortè re ipsa sint.

6. Quando, ratione conditionis personæ, peccatum aliquod mortale non censetur notabiliter lædere famam, illius revelatio non est mortalis: ut si de milite narres eum duellum commisisse. Vel referas ea delicta de personis, quas scis, se de illis publicè jactare.

7. Irrisio, quæ est species contumeliæ mortalis est, quoties fit ex animo graviter confundendi proximum, vel exprobratur sine causa justa grave peccatum, aut defectus infamis, vel derisus graviter contristatur, aut contemnitur: nam tunc ei grave malum infertur sine causa justa. *Aliquem illudere, vel irridere est eum omnino parvi pendere, & eum tam valem estimare, ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale. . . & tantò gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur.* ait S. Tho. 2. 2. q. 75. a. 2.

Resp. IV. Est mortale detegere alicujus crimen occultum grave non nominando personam, sed solum communitatem ex qua est, quando communitas inde gravem infamiam

passura est, ut Monasterium, Capitulum, &c. Item si de aliqua communitate in genere detrahas, v. g. si dicas de communitate religiosa nullam ibi esse disciplinam, aut de civitate eam esse plenam adulteris, usurariis, &c. graviter peccas, nisi hæc infamia sit publica, ubi hoc dicis: quia tunc gravis infamia injustè inferitur illi communitati, & sic manet obligatio eam reparandi: nam quamvis Congregatio Regularium re ipsa non maculetur ex unius hominis nequitia, sicut nec Apostolorum Collegium ex scelere Judæ; maculatur tamen ejus fama apud homines præsertim simplices & imperfectos.

Resp. V. Est mortale detrahere in re gravi apud unicam personam, & sub secreto, licet putetur non revelatura. *Est communis, teste De Lugo.* quia tunc injustè inferitur proximo grave damnum ablatione bonæ existimationis apud alium, ut patet in judicio temerario, quo quis apud se unum spoliat alterum bona existimatione: perinde enim proximo nocetur, sive in propria sive in aliena mente ingenere tur de eo prava opinio. Et verò diffamatio apud unicum est res per se concitativa gravis molestiæ, ac doloris, ut patet ex difficultate, quam ordinariè homo habet in aperiendo crimine soli confessario, quamvis sciat, hoc sibi salutare esse. Unde vix est vir honestus, qui naturaliter non ferat molestius bonæ famæ amissio.

missionem, apud unum virum gravem, quàm
jacturam sum mæ notabilis pecuniæ.

Resp. VI. Est mortale imponere alteri culpas
veniales falsas, vel veras, sed occultas detege-
re, aut defectus naturales falsos, quando inde
patitur damnum notabile, vel impeditur à
consecutione boni notabilis, vel officii, aut
beneficii, quo dignus est, si hoc prævideri po-
test aut eo animo detegantur; & est obligatio
hæc damna cum fama restituendi, ex cap. *ult.*
de injur. quia tunc injustè datur causa damni
gravis, & jacturæ boni notabilis. Sic Navar-
rus ait, se nôsse virum insignitum, & probum
ab adipiscendo egregio quodam munere im-
peditum per culpas veniales vanitatis, & ira-
cundiæ falsò ei impositas.

*Q. 4. An contumelia, & detractio differant
specie?*

Resp. Aff. Quia per illas proximus diverso
modo, & in diversis specie bonis injustè lædi-
tur. Imò peccata contumeliæ possunt inter
se specie differre, sicut & peccata detractio-
nis, pro diversitate specifica objectorum: sic inju-
sta revelatio adulterii specie differt ab injusta
manifestatione furti. Unde qui uno sermo-
ne de eodem dicit eum commisisse furtum,
adulterium, & homicidium, triplex specie
peccatum detractio-
nis admittit; & qui eun-
dem contumeliosè compellat furem, adu-
lterum, & homicidam tria peccata contumeliæ
admittit

admittit specie distincta. *Azor.* Nam peccata sumunt speciem ab objecto; unde specie diversa sunt, si habeant objecta specie moraliter diversa.

Q. 5. *An, & quando auditor detractoris peccat mortaliter?*

Resp. I. Hortari, incitare alterum ad inchoandam, vel continuandam gravem detractio- nem, v. g. approbando exterius dicta, adden- do de suo, item scienter præbendo occasio- nem detrahendi, v. g. interrogando de alio- rum defectibus, significando id sibi gratum fore, &c. *ex communi*, est mortale, tum con- tra charitatem ratione scandali, & inductionis ad peccatum; tum contra justitiam: quia talis est causa mortalis detractio- nis injustæ, aut saltem ei moraliter cooperatur, & sic tenetur ad restitutionem in directum detractoris.

Resp. II. Auditor, qui lætatur detractio- ne gravi, licet non inducat ad detrahendum, nec incitet ad continuandum, nec exterius sibi placere significet, *ex communi* peccat mortali- ter tum contra charitatem; quia lætatur gravi damno proximi; tum affectu contra justitiam; quia gaudet de actu injusto, quippe *digni sunt morte non solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* ad Rom. i. Hinc illud Eccli. 28. *Linguam nequam noli audire.* Non tenetur tamen ad restitutionem; quia non est causa damni; peccatum enim contra justitiam
non

non parit obligationem restitutionis, nisi ex eo secutum sit damnum. Equidem tenebatur illud impedire, sed solum ex charitate, non ex officio, ut suppono.

Resp. III. Auditor detractionis gravis, licet ad eam non inducat, nec eam lateatur, nec libenter audiat ex curiositate, secundum communem peccat mortaliter contra charitatem non impediendo, dum impediri potest, aut non obstitendo, nisi prudenter putet monitionem suam inutilem fore, aut metuat grave aliquod damnum; perinde, ac non impediens furem bona proximi auferentem, cum potest impedire; quia secundum omnes, teste De Lugo, ex lege charitatis quisque graviter tenetur impedire grave damnum proximi, dum sine gravi damno proprio potest: nam quisque ex charitate tenetur amare proximum sicut seipsum, & ei facere, quod sibi rationabiliter fieri vellet in simili casu. Imo juxta De Lugo si damnum proximi sit gravissimum, & irreparabile, teneris impedire cum aliquo gravi tuo incommodo.

Porro cum auditor detractionis non potest resistere, tenetur tamen, saltem si commodè potest discedere, vel sermonem alio avertere, vel faciem tristorem ostendere; nam hoc pacto impeditur continuatio detractionis, aut saltem minuitur detractoris fervor, ex Prov. 25. *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Et tunc saltem est

T

tacita

tacita improbatio peccati, & virtualis correctio. Tenetur autem quisque damnum proximi, & offensam Dei impedire, quantum moraliter potest.

Resp. IV. Dum proximo infertur calumnia, cujus falsitatem nosti, teneris ejus falsitatem aperire, ac probare, quantum potes: quia ex charitate teneris impedire grave damnum proximi, quando sine gravi tuo incommodo potes. Quod si tuum silentium in talibus circumstantiis æquivaleat tacitæ confessioni delicti, seu defectûs falsò impositi proximo, ut fit, dum ille est tibi notissimus, & tamen ejus innocentiam non pandis, peccas contra Justitiam: nam tunc moraliter censeris consentire, & fateri rem ita esse, ut refertur: & ita facis contra Jus, quod proximus habet, ne ullo modo, etiam tacitè, approbetur, & confirmetur calumnia sibi illata; estque tunc tacita calumnia, seu calumniæ confirmatio, & approbatio contra Justitiam obligans ad restitutionem. Sic, si quis Romæ de tuo concive tibi notissimo coram te dicat eum esse ignobilem, spurium, injustum, &c. & ipse contrarium sciens taceas, eo ipso videris consentire, & fateri ita esse. *De Lugo.*

Resp. V. Si Superior subditum detrahentem famæ alterius etiam non subditi, non impediat, nec coerceat, peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem famæ, in defectum subditi. Ita *Lessius, De Lugo & alii.* quia Superior

perior tenetur ex officio, ideóque ex Justitia, subditos suos corrigere, à peccato cohibere, & impedire, ne alios injustè lædant: unde si non impedit, cum potest, meritò censetur causa injusta damni. Quòd si subditus absente Superiore detrahat, tunc Superior ex officio tenetur cogere subditum, ut restituat famam; nam tenetur ex officio compellere subditum, ne perseveret in injuria alteri inferenda: perseverat autem in injuria, eamque continuat subditus, qui non restituit famam à se læsam, cum potest. Hinc Pater, Dominus, Prælatus, &c. tenentur ex Justitia impedire detractiones, & cogere subditos detrahentes ad restitutionem. Dixi etiam *Prælatus*, seu Superior Regularium: quia Prælatus est etiam caput politicum suorum subditorum: quare tenetur eos gubernare, etiam in ordine ad bonum commune aliorum civium, sicut Dominus tenetur gubernare suos servos, & curare ne inferant damna aliis civibus. Ei enim, qui est caput politicum, tribuuntur, & imputantur damna à subditis illata, si non impediat. Ita De Lugo. Et à fortiori quivis Superior, ac Prælatus tenetur ex Justitia impedire subditum detrahentem alteri suo subdito: nam ex officio, & Justitia tenetur ab omni damno subditos suos tueri, si possit: quia non solum est rector suorum subditorum, sed etiam Judex, & custos, qui ex suo munere, ideóque ex Justitia,

tia,

tia, tenetur impedire damna suorum subditorum.

Not. Jure naturali non licet librum famam proximi lædentem, & crimina vera, sed occulta sine causa justa pandentem legere perinde, ac audire detractionem: nam crimini auctoris libri quodammodo consentit, aut cooperatur lector, ut auditor detractioni. Deinde quisque rationabiliter velle, ut liber contra ejus famam injustè scriptus, à nemine legeretur.

Q. 6. An audita, lecta, vel alia qualibet referens absque asseveratione peccat?

Resp. I. Qui audita, vel lecta refert eo modo, vel nominatis iis auctoribus, ut audientes merito possint induci ad opinandum, vel suspicandum grave malum de proximo, peccat mortaliter contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem, quia est causa iniusta gravis damni, seu mali proximi, nempe malæ opinionis, vel suspicionis: nam dat aliis sufficientem causam malè opinandi, hoc ipso, quòd eo modo refert audita, ut alii merito inducantur ad malè opinandum.

Resp. II. Qui audita refert sine causa coram iis, quos probabile est credituros ex sola levitate, vel malitiâ, quamvis non eo modo referat, ut merito credi possent, peccat mortaliter, non solum contra charitatem, ex qua quisque tenetur impedire malum proximi saltem, cum
facile

facile potest, sed etiam contra Justitiam; & sic tenetur ad restitutionem, saltem si non sine publica: nam recte censetur causa injusta gravis damni, cum sine justa causa ponat id, ex quo probabiliter praevidet secuturum grave damnum proximi; & proximus habet Jus, ne in tali circumstantia, seu cum suae infamiae periculo audita referantur.

Præterea talis est causa, ut alii peccatum proximi nōrint, ideoque est causa, ut fama alterius apud tales amittatur. Idem dic, si ex ejus narratione gravis mali suspicio auditoribus verisimiliter suboritura sit, ut vulgò saltem accidit, ob infirmitatem hominum, qui facilius mala, quam bona de proximo opinantur. Talis enim suspicio est grave malum saltem respectu personæ honestæ.

Resp. III. Qui audita refert eo modo, & in iis circumstantiis, ubi constat auditores non esse credituros, nec ullum esse periculum infamiae, neque malæ suspicionis, aut dubitationis de probitate proximi (quod rarò contingit,) non peccat mortaliter, imò nec venialiter, si adsit justa causa referendi: quia tunc nullum damnum, nec periculum damni creat.

Q. 7. An crimen proximi, quod publicum est in aliquo loco, licet detegere in alio ubi ignoratur, vel in eodem?

Not. I. Crimen dicitur publicum seu notorium tripliciter. I. Publicitate Juris, dum de eo

eo constat per publicam iudicis sententiam, vel per confessionem rei, aut convictionem in iudicio, seu legitimum testium testimonium, 2. Publicitate facti, cum in loco publico coram multis patratum est, ita ut nulla tergiversatione celari possit, nec ullo Juris suffragio excusari. 3. Publicitate famæ, quando fama criminis ex sufficientibus indiciis orta pervenit ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas de communitate, ut spectatis circumstantiis impossibile sit moraliter, quin perveniat ad notitiam maioris partis communitatis, seu Civitatis, Pagi, Paroeciæ, Collegii, vel Monasterii.

Not. 2. Crimen notum maiori parti unius communitatis particularis, v. g. Collegii non censetur publicum absolute, & respectu omnium, sed solum respectivè ad illam communitatem v. g. Collegium, Monasterium, &c. quare si notum sit solum Collegio, Monasterio, non censetur publicum extra illud, nec sine iniustitia potest narrari iis, qui non sunt de illo: quia talis publicitas non est absoluta, sed restricta ad illos, cum quibus Monasterium communicat in regulâ, & regimine: sic peccata solum publica inter domesticos non possunt narrari iis, qui non sunt de familia. Item peccata publica in Religione aliqua non possunt revelari externis: nam Religiosus infamis tantum apud suos retinet Jus ad famam apud externos. Item si in vicinia duntaxat
notum

notum sit crimen, est contra Justitiam illud revelare aliis partibus amplæ civitatis, vel locis, in quibus criminofus famam hæctenus illam retinet. Ita Layman dicens hanc esse communem doctrinam.

Resp. I. Ex communi, non est contra justitiam revelari in quovis loco crimen alicubi notum per sententiam judicis publicè denuntiatam, in qua nominetur reus: quia per hanc sententiam reus privatur jure ad famam pro omni loco: nam judex habet jus spoliandi absolute reum famam, sicut & vitam, in vindictam publicam criminis; & re ipsa spoliare intendit, quando eum publicè condemnat, ut cæteris ubique sit in exemplum, & terrorem; datque omnibus facultatem illud divulgandi: & idè nocentes puniuntur in media luce, & coram populo.

Delictum tamen in una Religione publicum, etiam per sententiam judicis regularis, injustè extra eam revelaretur: quia ex mente ferentis sententiam ipsa non est lata pro publica notitia aliorum, sed solùm pro privata suorum subditorum; alioqui bono communi Religionis perniciofa esset.

Resp. II. Est mortale contra charitatem crimen alterius alicubi publicum, etiam per sententiam publicam judicis, detegere sine justa causa in eo loco, quo fama non erat illud perlatura, si auctor criminis erat ibi bonæ famæ. Ita Lessius asserens hanc esse fere communem senten-

ten-

tentiam. quia proximo infertur sine justa causa grave malum graviter contristativum, nempe, infamia, quod ipse detegens nolle rationabiliter sibi fieri in pari casu, contra illud, quod tibi non vis fieri, alteri de feceris. Nec refert quod ille jus ad famam jam amisit; nam illam usque injuria, & fraude adhuc possidebat, & possessurus erat in eo loco. Si tamen fama communis crimen sic publicum brevi erat perlatura in locum, ubi revelasti, non peccas mortaliter contra charitatem, illud antea aperiendo: quia fama brevi justè destruenda non magni æstimatur, nec proinde illius damnantur censetur magnum.

Dico, *juste.* nam qui crimen, quod injustè divulgandum erat, prior divulgat, peccat mortaliter, & tenetur compensare damna sicuti is, qui prior incendit domum, prævidens injustè brevi incendendam ab aliis: nam qui prævenit in injuria, prævenit in obligatione, quæ contraheretur ab aliis, & quæ necessariò annexa est injuriæ damnosæ.

Resp. III. Si crimen quantumvis publicum non sit verum, est mortale contra justitiam illud nescienti aperire. Ita Layman, De Lugo & Galii. quia innocens per infamationem iniustam licet publicam non amittit ius ad famam; nam ius illud fundatur in carentia criminis, vel ignorantia publica veri criminis: ac proinde non potest sine iniuria diffamatio eius ad plures propagari. Et verò innocentem infamare, etiam

re, etiam apud unum, per se malum, & iniustum est, atque mendacium perniciosum.

Resp. IV. Est mortale contra iustitiam, crimen verum, sed solum notum per Confessionem rei in iudicio, testium testimonium, divulgare in loco, ubi nondum de eo publice infamatus est. *Est commun. teste Layman.* quia reus adhuc retinet ius ad famam, cum nondum eo in poenam sit privatus per auctoritatem publicam; & nondum crimen publicum est in ordine ad populum, sed illis duobus modis: dicitur notorium solum in ordine ad iudicem, ut ab eo condemnari possit. Quare ne quidem in eo loco licet illud divulgare, nisi ibi iam infamiam de illo laboret, ut saepe contingit.

Resp. V. Juxta multos mortale est contra iustitiam crimen verum in uno loco publicum sola publicitate facti, vel famae, divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura. *Ita Adrian. Tolet. Sot. Rebell. Valentia, Molina & alii.* quia auctor criminis alibi illam famam habet famam, & per talem notitiam non amisit ius ad famam in aliis locis; neque enim ille censetur famam abiecit respectivè ad alia loca; neque jure ad illam privatus est per auctoritatem publicam in poenam criminis. Faterentur tamen licere ob bonum publicum referre in historiis delicta publica Defunctorum, quamvis infamia ad alia loca deferatur, tum ut notitia rerum publice gestarum habeatur,

tum ut homines timore infamiae perpetuò duraturæ à criminibus deterreantur.

Dixi, *In alio loco*. Nam *ex communi*, non est contra iustitiam, nescientibus revelare crimen alterius in loco, ubi de eo publicè infamatus est. Quia is in illo loco ius ad famam, sive ius secreti amisit per publicitatem, cui causam dedit committendo crimen, in multorum conspectu, vel dando multis indicia, per quæ crimen multis innotescit, & divulgatur. Addit De Lugo ad bonum publicum expedire, quòd unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis reverà publicè est. Neque etiam hæc revelatio mortalis est contra charitatem, quia ex ea non sequitur grave damnum proximo, cum ibi iam sit publicè infamatus: nec potest rationabiliter id multum molestè ferre, cum famam ipse suam in eo loco abiēcisse censeatur, crimen publicè committendo.

Quòd si crimen verum factum sit iniuste publicum, ut si cum esset secretum aliqui pluribus illud revelarint, De Lugo, negat peccare contra iustitiam eum, qui illud aliis eiusdem loci nescientibus detegit: quia tunc solum est contra iustitiam manifestatio criminis, quando ius habet proximus, ne infametur: eiusmodi autem ius nullum habet in prædicto casu, nam totum ius proximi fundatur vel in carentia talis criminis, vel in eo, quòd sit occultum: uterque enim hic titulus dat ius; prior quidem absolutè, & universaliter posterior

rior verò saltem ut non narretur absque necessitate: utroque autem titulo cessante, nullum manet ius: cum ergo sive iuste, sive iniuste verum crimen factum est publicum, ablatum est fundamentum totum iuris impediens, ne detegatur, cum & verum sit, & publicum iam sit, undecunque publicitas illa provenerit, modò non oriatur ex Confessione sacramentali.

Resp. VI. Si is, qui olim ob sua crimina infamis fuit, famam honestè vivendo recuperavit, mortale est contra charitatem illa crimina nescientibus narrare, vel revocare in memoriam: quia sine iusta causa ei inferitur grave damnum, ac malum, quod narrans in simili casu nollet rationabiliter sibi inferri. Imò est contra iustitiam, si crimen non fuit publicum per sententiam iudicis: quia sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & fama bona amittitur: ita bonis moribus infamia facti tollitur, & fama bona recuperatur cum iure ad illam. *Ita Tolet. Azor, Molina, Reginal, De Lugo, Layman & alii.* A fortiori est contra iustitiam, si inde detur occasio opinandi eum adhuc esse improbum, etiamsi per sententiam iustam olim infamatus sit: nam habet ius ad famam illam, quam postea bene vivendo sibi comparavit, & quam iuste possidet. Item est mortale contra iustitiam crimen alterius, quod factò, vel famâ dumtaxat publicum fuit, sed iam solâ oblivione deletum narrare nescientibus,

tibus, vel reducere in memoriam: quia talis jus habet ad famam pro tempore, quo crimen suum desit esse publicum: nam per oblivionem reducitur res ad eum statum, quem habuit, antequam esset publica. Ergo sicut res antea, dum erat occulta, non poterat revelari: ita nec potest, quando redit ad priorem statum, & rursus inducit naturam rei occulta. Ita De Lugo, qui excipit crimen publicum per sententiam publicam: quia facultas illud divulgandi orta ex sententia publica adhuc irrevocata, perseverat, donec publica auctoritate infamia tollatur. Sed saltem id erit contra charitatem.

Q. 8. An eum, qui uno, aut altero crimine infamis est, licet de aliis infamare?

Resp. I. Si illa alia crimina sint ordinariè conjuncta cum graviori crimine, quod jam publicum est, ita ut non censeatur notabiliter augere infamiam, non est peccatum saltem mortale illa detegere iis, qui jam principale nôrunt: quia non censeatur nova infamia saltem gravis inferri, aut prior graviter augeri: ut si narres de ebrioso publico eum non rectè curare rem familiarem, rixari cum uxore, &c. De fornicario publico, quòd scripserit litteras amatorias, &c.

Dixi, *graviore*. Nam mortale est contra justitiam aperire crimen atrox ei, qui novit minus grave licet ejusdem speciei, v. g. Si di-

cas

cas Paulum surripuisse mille nummos, cum alter sciat eum tres solum furatum esse: quia tunc graviter, & injustè augetur ejus infamia.

Imò potest esse gravis injuria detegere peccata ejusdem speciei multiplicata, ut si semel aliqua foemina adulterium notorium commisit; non ideo postea licebit alium ejusdem adulterium occultum patefacere: nam relapsus multum auget infamiam. *De Lugo.*

Resp. II. Si crimina illa non sint connexa, *ex communi*, est mortale contra justitiam illa detegere, præsertim si sint alterius generis: quia graviter, & injustè læderetur ejus fama, sive injustè inferretur ei nova infamia gravis: nam qui infamis est in uno genere vitii, non ideo censetur infamis in omnibus aliis vitiis: diversorum enim vitiorum diversa est infamia, & alia Major, alia Minor. Quare qui amisit jus ad famam in una virtute, non ideo jus amisit ad famam in altera virtute. Sic potest quis haberi ebriosus, & tamen esse & haberi justus in contractibus, fidelis uxori, &c. Fama quippe non est quid simplex, & indivisibile, sed constat diversis quasi partibus, quarum una potest haberi sine alia. Quare sicut potest quis habere unam partem famæ, licet non habeat alias, ita potest retinere jus ad unam partem famæ, licet non retineat ad alias.

Hinc est contra iustitiam furis capite damnati adulterium occultum prodere, &c.

U 3

Notat

Notat De Lugo totum hoc desumendum esse ex damno novo, quod circa famam fit, an iudicio prudentum sit grave, vel leve.

Q. 9. An licet aliquando revelare crimen occultum alterius?

Not. Certum est id nunquam licere, si crimen innotuit solum per Confessionem sacramentalem, vel si talis revelatio cedit in detrimentum publicum. Sed extra hos casus.

Resp. I. Ex communi, revelatio criminis occulti fieri potest, & debet, quando necessaria est ad avertendum grave damnum communitatis, aut privato innocenti impendens, sive spirituale, sive temporale: quia nocens non habet ius retinendi famam cum gravi damno, quod inde alteri iniuste obveniret: nam bonum commune, & privatum innocentis præferri debet bono privato nocentis. Et charitas obligat ad impediendum damnum communitatis, vel privati innocenti, cum impediri potest: nec alter tunc censetur rationabiliter invitus, cum adsit iusta causa, ob quam debeat famæ suæ iacturam pati. Ob eandem rationem idem tibi licet, si hoc necessarium sit ad avertendum tuum grave damnum etiam temporale iniustum.

Manifestatio autem criminis occulti alterius non est detractio, nisi cum est inordinata: at quæ fit ob iustam, ac rationabilem causam & sine animo nocendi, est ordinata: nam detractio

tractio formalis, quæ semper intrinsecè mala est solùm fit cum proximi defectus aut crimen revelatur vel sine iusta causa, vel ex intentione illum infamandi. Imò ex S. Thom. q. 70. a. 1. ad 2. homo tenetur manifestare ea, quæ sibi sub secreto commissa sunt, *Si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.*

Hinc quando agitur de Officio, Beneficio Ecclesiastico conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione suscipienda, potes, & debes occulta impedimenta, incapacitatem vel vitia alterius, unde aliquod grave damnum meritò timetur, detegere iis, ad quos id spectat, sed non pluribus; & illi tenentur sic audita non referre aliis. Sic tibi licet monere amicum, ut in famulum non assumat Petrum, nihil aliud initio allegans, quàm quòd ei non convenit, sed postea dicere esse furacem, si amicus persistat velle eum assumere, nisi causam repellendi nòrit. Item licet monere alterum, ut vitet consortium hominis, quem certò nòsti esse corruptis moribus, ne ipse pervertatur; vel ut sibi caveat ab homine injuriis dedito: Sic Apost. 2. ad Tim. 4. monet: *Alexander ararius multa mala mihi ostendit... quem & tu evita.*

Item talis revelatio fieri debet, cùm necessaria est ad bonum spirituale delinquentis, ut si fiat superiori, parentibus, servato, quantum opus est, ordine fraternæ correptionis:

quia bonum spirituale animæ anteponi debet
famæ. *S. Basil. in Reg. Brev. Resp. ad inter-
rog. 25.*

Resp. II. Licet injuriam sibi ab alio factam
referre ad petendum consilium necessarium,
non nominatâ personâ nisi ad consilium opus
sit, modò non pluribus referatur quam ne-
cesse sit, quia tunc injurians non est rationa-
biliter invitus, & læsus habet jus consilium
necessarium in injuriis acceptis quærendi.
Non tamen licet ad solatium præcisè, seu ad
dolorem leniendum narrare amico injuriam
sibi factam, nominatâ personâ: quia iniquum
est gravem infamiam proximo inferre sine ju-
sta, & gravi causa, quale non est solatium il-
lud, quod non est bonum tanti momenti, nec
necessarium, cum verum solatium possit sine
infamatione proximi obtineri, scilicet confu-
giendo ad Deum, qui est *Pater misericordia-
rum, & Deus totius consolationis, qui consolatur
nos in omni tribulatione nostra. 2. ad Cor. I.*

Resp. III. Si quis fictis virtutibus, vel simu-
latâ peritiâ famam sibi comparavit, licet ape-
rire hanc simulationem, si ea vergat in alicu-
jus damnum grave: ut si quis simulet se peri-
tum Medicum, Advocatum &c. & constet
non esse talem: quia is non habet jus famam
in errore fundatam retinendi cum aliorum
damno, vel periculo. Quòd si simulatio
virtutis, vel Doctrinæ nemini nocere possit,
est contra justitiam eam detegere: nam quam-
diu

diu hypocritæ malitia est occulta, & nemini nocet, jus habet, ne positivè existimetur malus: detegendo autem hypocrisim, facis ut positivè existimetur malus.

Q. 10. *An est mortale detrahere defuncto in re gravi?*

Resp. Aff. etiamsi ejus infamia ad alios non redundet. *Ita omnes.* quia defunctus retinet jus ad bonam opinionem, quam habet apud homines; & censetur etiam post mortem possidere famam suam, per quam vivit in memoria hominum. Ergo eam auferendo, inferitur ei grave damnum injustum: fama enim etiam post mortem magni æstimatur ab hominibus, & ideo ejus intuitu res maximè arduas aggrediuntur. Hinc illud Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.*

Quare est obligatio restituendi famam defuncto sive ante, sive post ejus mortem injustè læsam: nam injusta ademptio boni proximi obligat ad restitutionem. Nec hanc remittere potest hæres, quia jus remanet defuncto, qui damnum injustè patitur.

Q. 11. *An licet se ipsum infamare?*

Resp. I. *Ex communi,* laudabile est seipsum infamare, veritatem aperiendo sine scandalo vitæ periculo, & aliorum injuria, ad coercen-

U s

dam

dam superbiam, ac vanam gloriam, ad acquirendam humilitatem, ad imitandum Christi opprobria, ut fecerunt quidam Sancti: quia homo est Dominus suæ famæ; & honestè eam bono majori postponit: si id faciat sine justa causa, erit per se loquendo venialis culpa, quia est quædam inordinatio, & prodigalitas. Non est tamen per se mortalis; quia nec est contra justitiam, cum homo sit Dominus suæ famæ: nec contra charitatem, quia charitas non obligat ad bona temporalia externa comparanda vel conservanda, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia, vel ad vitam temporalem nostram, aut proximi conservandam.

Resp. II. Ex communi, est mortale contra charitatem seipsum infamare, aut cum scandalo proximi, vel etiam proprio, ut si inde fias ad peccandum effrænatior; aut cum periculo vitæ propriæ, ut si dicas te violasse torum alterius; nam est mortale dare alteri occasionem graviter peccandi, & prodigere id, cujus dominium non habes. Item si infamia tua impediatur, ne possis prodesse proximo, cui ex sola charitate prodesse teneris. Imò est etiam contra justitiam, si propria infamia redundet ad alios, ut ad ordinem Religiosum, si sis Religiosus: quia cum fama tua sit connexa cum fama aliorum, non potest lædi fama tua, quin etiam fama illorum lædatur. Si autem jus habent ne suâ famâ spolientur sine gravi, & justâ causa,

causa, quod jus tunc violas. Item si fama tua sit necessaria ad bene, & utiliter gubernandos alios, ut si sis Episcopus, Parochus, Prælatatus &c. nam ex justitia teneris nihil facere, quod impediatur, ne rectè, & utiliter aliis munus tuum exequaris, cum teneris ex justitia illud sic obire.

Q. 12. *An licet contumeliam illatam repellere?*

Resp. Sic respondet S. Thom. 2. 2. q. 72. a. 3. *Dicendum quod sicut patientia necessaria est in his, quæ contra nos sunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos sunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut August. l. de Sermone Domini in monte exponens illud præceptum Domini, si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et aliam, ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu; quia nec ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepit alapam, dixit quid me cædis? Et ideo etiam circa verba contumeliosa, quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. 1. Quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cæterò talia non attentet secundum illud Prov. 26. responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo*

modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.

Q. 13. *An, & quomodo restituenda est fama?*

Resp. I. Est obligatio justitiæ ex genere suo gravis restituendi famam injustè læsam, sive imponendo falsum crimen, sive detegendo sine justa causa verum, sed occultum defectum, vel crimen. *Ita omnes.* quia tunc illata est vera injuria, damnosa, quæ proinde tolli, ac resarciri debet: jus enim quod quisque habet ad famam, auferri ob crimen etiam verum sed occultum & jam nemini nociturum nequit nisi per auctoritatem publicam. Adde quod bonum commune exigat, ut defectus, vel crimina occulta non detegantur sine necessitate aliqua: aliàs læderetur pax, ac tranquillitas publica, & tolleretur maximum frænum vitandi postea alia crimina, quod est famæ bonæ conservatio, & quo sublato in desperationem, & quodvis flagitium facile ruit humana fragilitas.

Resp. II. Fama injustè ablata restitui debet integrè apud eos omnes apud quos ablata fuit: nam Justitia exigit, ut damnum injustè illatum resarciatur integrè, & fiat restitutio ad æqualitatem; alioqui injustitia non tolleretur totaliter, & remaneret inæqualitas. Hinc qui publicè infamavit, tenetur famam publicè restituere.

Resp. III. Qui alium infamavit, falsum crimen

men imponendo, *ex communi*, tenetur illud efficaciter revocare, & adhibere omnem moralem diligentiam, ut falsa illa opinio ex animis hominum evellatur. Unde tenetur Auditoribus apertè significare voce, vel scripto, si necesse sit, se falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, si opus sit, adhibito etiam Juramento, & testibus, si aliter non putentur credituri, quamvis idcirco ipse sit infamandus: quia tenetur efficaciter resarcire iniuriam illatam, ac proinde adhibere media ad id necessaria; & suæ culpæ imputare debet, quod sibi imposuerit tale onus.

Qui autem verum alterius crimen, vel defectum injustè revelavit, non debet dicere se falsum dixisse; quia mentiretur, quod nunquam licet: neque enim sunt facienda mala, ut eveniant bona; sed debet apud rudes dicere se perperam locutum fuisse, talem injustè infamasse, ei iniuriam intulisse: apud peritos verò qui ex ejusmodi locutione magis confirmarentur in opinione admissi criminis, debet (quantùm fieri potest, sine mendacio) infamatum laudare in aliis virtutibus apud eos, coram quibus detraxit, ut quantùm in unâ virtute amisit opinionis bonæ, tantùm in aliis acquirat, & sic fiat quædam compensatio; item eum honorare, vel quo vis alio modo ingenerare bonam opinionem de eo.

Sed qui libro famoso alterum injustè infamavit, tenetur restituere famam contrariis scriptis.

scriptis, vel publica revocatione: alioqui restitutio non esset efficax, & proportionata damno.

Resp. IV. Qui falsum, vel verum crimen alterius iniuste revelavit, tenetur ex Justitia reparare famam non solum apud eos omnes, apud quos eam abstulit, sed etiam apud alios omnes, quibus hi postea idem retulerunt, saltem in eorum defectum, si prævídít, vel prævídere potuit eos apud quos detraxit, rem propagaturos. *Est communis.* quia tunc detractor fuit causa iniusta ulterioris infamiae secutae ex illius iniuria, & voluntariae in illa. Quare ab immediatis auditoribus quærere tenetur, an idem aliis retulerint. Imò etiam si probabilius putasset auditores immediatos audita non relatu-ros esse aliis, videtur adhuc teneri in horum defectum: quia tunc adhuc dedit iniuste occasionem illi ulteriori infamiae: nam homines etiam aliàs prudentes facile datâ occasione, ex inconsideratione vel aliter audita nar-rant. *Qui autem occasionem damni dat, damnum videtur dedisse.* Cap. ult. de iniur.

Q. 14. An qui crimen falsum alteri imponit, vel verum sed occultum iniuste detegit, tenetur omnia alia damna, sive in corpore sive in aliis bonis inde secuta resarcire?

Resp. Aff. Est communis, & certa. prob. I. ex cap. ult. de injur. ubi Greg. XIII. ait: Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, iure super

super his satisfacere te oportet. 2. Quia est obligatio refarciendi omnia damna secuta ex injuria mortali; qui enim hanc intulit, est causa iniusta damnorum inde secutorum, idque etiamsi crimen sit verum, sed occultum: nam qui illud iniuste manifestavit est causa moralis iniusta damnorum, hæc enim secuta non fuissent sine tali manifestatione iniusta criminis.

Hinc qui defectum, seu crimen sive verum, sive falsum iniuste aperiendo impedivit alterum à consecutione optimi matrimonii, vel officii, aut beneficii quo dignus est, tenetur ei restituere, quanti spes illius obtinendi valet arbitrio prudentis, cum iniuste impeditur. Quòd si infamatus ideò privatus sit officio, vel alio bono, quod jam habebat, restitui debet valor officii vel talis boni; quia detractor fuit causa iniustæ jacturæ boni jam acquisiti imò qui proximum in vitæ periculum conjicit, falsum crimen ei affingendo, tenetur ex Justitiâ retractare etiam cum propriæ vitæ periculo: nam in pari causa & discrimine potior est conditio innocentis, quàm nocentis, qui est culpabilis causa periculi, & ideò qui vitæ tenetur damnum à se alteri iniuste paratum impedire cum suo damno saltem pari & paulo majori.

Q. 15. *Antenetur ad restitutionem, qui falsò scd bonâ fide putans crimen esse verum & publicum illud narravit?*

Resp. Qui innocentem licet inculpate infamavit

mavit etiam correctionis causâ, ubi primum errorem suum deprehendit, tenetur ex Justitia famam eius restituere, & avertere damnum ex infamia imminens. *Est commun. teste De Lugo.* Quia 1. Justitia quemlibet obligat ad curandum ne ex sua actione sequatur damnum aliis sine justâ causâ. 2. Tenetur ratione rei acceptæ seu famæ ablatæ, sicut qui bona fide accepit rem alienam, tenetur eam restituere, ubi primum id agnovit. Fama autem ex natura rei manet in potestate eius, à quo ablata est. Item causa fuit damni dati, & est in potestate ipsius eam auferre, & impedire, ne ulterius illud continuetur. 3. Non restituendo quodammodo detines famam proximi, dum in mente alterius malam opinionem à te injectam relinquis, quam potes evellere. Hinc si fueris in mora restituendæ famæ, & interea damnum in aliis bonis infamato eveniat, teneris adhuc illud resarcire: quia ex illo tempore, quo tuum errorem deprehendisti, & potuisti sine tuo gravi incommodo restituere, censeris causa iniusta infamiæ ut perseverantis, seu detentionis famæ, & damnorum ex tua omissione iniusta secutorum. Præterea, qui causam damni à se positam non removet, censeatur velle effectum, seu damnum, quod ex ea secuturum novit: secus, si infamatus, sine infamatoris culpâ patiatur aliquod damnum, antequam infamator errorem suum agnoverit; nam tunc non tenetur illud resarcire,
 cum

cum sit inculpabilis causa infamiae, ideoque & damni inde secuti, nemo autem extra contractum, aut quasi contractum seu officium tenetur resarcire damnum, quod sine sua culpa voluntaria alteri sequitur.

Sed quid si me narrante de aliquo publice infamato auditores alium intelligant.

Resp. Si periculum fuit, ne auditores alium intelligerent, teneris ex Justitia etiam cum pari damno ad restitutionem: tunc enim merito censeris causa moralis infamiae ex tua narratione secuta: si non fuit tale periculum, innocentem purgare, si potes, saltem sine gravi incommodo, teneris tum ex charitate, quae semper exigit, ut grave damnum proximi avertamus quoties sine gravi incommodo possumus: tum ex Justitia, quae obligat ad curandum, ne ex nostra actione sequatur aliis damnum sine justa causa. *Molina, De Lugo, &c.*

Q 16. An haeres detractoris tenetur ad restitutionem fame à defuncto violata?

Resp. Neg. quia obligatio non respicit bona ei relicta, sed est merè personalis. At tenetur ex Justitia resarcire damna realia ex infamia secuta. Nam obligatio resarciendi damni in rebus illati afficit bona infamatoris & cum suo onere transeunt ad heredem; defuncti personam repraesentantem, qui sicut in bona, ac

jura, item in onera, ac debita realia defuncti succedit.

Q. 17. *Quenam excusant à restitutione famæ?*

Resp. Excusat 1. condonatio valida talis restitutionis facta ab eo, cuius infamia non redundat in alios: nam cum talis sit Dominus suæ famæ, potest eius restitutionem, sicut aliorum bonorum externorum validè condonare. Illicitè tamen condonaret, si eius fama necessaria esset ad ædificationem proximi, vel ad tollendum scandalum, tunc enim peccaret contra charitatem; in tribus autem casibus non potest validè condonari restitutio famæ.

1. Si infamia tua redundet in alios, qui inde maneant infamati, vel suspecti; quia non potest de aliorum fama disponere, & cedere Jus, quod habent, ne infamia eis inferatur, & ut illata tollatur, talis est infamia Religiosi, quæ redundat in suum ordinem, &c. 2. Si fama tua necessaria sit ad rectam muneris tui administrationem, nisi officium deponas, vel aliter famam tuam apud alios recuperes: nam subditi habent Jus, ut munus tuum erga illos rectè, ac utiliter exerceas, ideòque ut tollatur impedimentum ortum ex tua infamia. 3. Si ex tua infamia secuturum est damnum alicui tertio; nam infamator tenetur ex Justitia impedire illud damnum, cum ei causam iniuste dederit, ac proinde tenetur tollere infamiam tuam, ex qua

qua obventurum est, nisi tamen aliter amoveatur.

2. Excusat, si fama sit aliunde recuperata, puta per sententiam judicis, vel per rei evidentiam, vel per testes, aut aliter: quia jam sublatum est totum damnum illatum: ergo nihil manet resarciendum; perinde ac si equum tibi surreptum casu recepisses; potest tamen infamator condemnari per judicem ad aliquam satisfactionem etiam pecuniariam in poenam criminis. Sed si non accusetur apud judicem, tenetur tantum ad satisfaciendum per signa doloris, petitionem veniæ, vel honorem aliquem secundum conditionem personarum ob inœrorem illatum, & infamiam, quam passus est læsus, donec sublata fuerit, si putetur talem satisfactionem velle: damna autem in aliis bonis ex infamia secuta, compensari semper debent.

3. Si restitutio sit impossibilis, nam nemo tenetur ad impossibile ex reg. jur. in 6.

4. Si revera nulla fuit infamia ex detractio-
ne secuta, ut si audientes jam antea sciebant, quod narrasti, vel illud non crediderunt: quia tunc nullum damnum secutum est, ergo nullum est resarciendum. Si tamen tua narratione infamia proximi notabiliter aucta est, aut si auditores inducti sunt ad judicandum malum de proximo quod antea tantum suspicabantur, teneris ad restitutionem, quia tunc fuisti causa iniusta talis incrementi, seu damni.

5. Si restitutio fieri nequeat sine periculo vitæ infamatoris, quæ judicio prudentum præstet famæ infamati: quia non est obligatio restituendi cum longè maiori damno, spectatis omnibus: nec tunc læsus est rationabiliter invitus. Si tamen ex tua calumnia impendeat infamato, aut aliis damnum grave in spiritualibus, vel periculum vitæ, aut grave scandalum, aut grande malum publicum, teneris cum periculo vitæ famam restituere: nam ista damna æquivalent, aut etiam præstant damno vitæ infamatoris. Idem dic, si jactura famæ, vel aliorum bonorum tanti, vel ferè tanti ex circumstantiis æstimetur, quanti jactura vitæ tuæ: nam quisque tenetur damnum à se illatum restituere etiam cum æquali, vel paulò maiore detrimento suo. A fortiori fieri potest, ut quis famam restituere teneatur cum jactura bonorum omnium.

6. Juxtà multos non teneris restituere, si crimen verum occultum quod aliis narraſti, fiat aliâ viâ justâ publicum publicitate, qua infamatus amiserit Jus ad famam.

7. Si infamia penitus abierit in oblivionem, nec periculum sit ne reviviscat: quia tunc infamia jam est abolita, ac proinde damnum sublatum. Sed si reviviscat postea, erit tunc obligatio restituendi. Si autem periculum sit ne aliquando infamia reviviscat, (ut facillè fieri potest, nam homines data occasione facillè recordantur, quæ obliti erant) debet detractor

etor satisfacere pro illo periculo, honorando, laudando infamatum, imò & dicta revocando, si crimen sit falsum.

Q. 18. *An in restitutione fama potest fieri compensatio?*

Resp. I. Est mortale contra Justitiam falsum crimen, sive in judicio sive extra illud imponere etiam calumniatori ad suam Justitiam, vel famam tuendam. *Est communis teste De Lugo. Quia 1. est medium intrinsecè malum, & prohibita hac lege, non falsum testimonium dices. Matt. 19. estque mendacium perniciosum, ac iniustum in re gravi: nam quisque habet Jus, ne ei ob ullam causam falsum crimen affingatur. Hinc Conc. Arelat. 1um & 2um & Marticon. 1um. Et alia concilia jubent excommunicari generaliter eos, qui falsum crimen obijciunt aliis. 2. Innoc. XI. damnavit has propos. 31. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere? 44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam Justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

Resp. II. Non licet infamantem infamare, narrato etiam vero crimine præcisè ad compensandam infamiam illatam. *Est communis. quia non licet privata auctoritate malum pro malo reddere, & vindictam exercere. Non*

reddentes malum pro malo, ne maledictum pro maledicto, sed contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. 1. Pet. 3. Est autem mera vindicta, quando quis privata auctoritate infert damnum, per quod proprium damnum non impeditur, vel acceptum non refarcitur, ut cum infamia alterius non tollit tuam infamiam: sic non licet incendere domum eius, qui tuam incendit. Hinc qui se mutuò infamârunt, tenentur ad restituendum sibi mutuò famam, nisi sibi mutuò condonent, ut præsumuntur, si æqualitas sit in infamia.

Resp. III. Si qui te falsò infamet, ex communi potes aliquem eius defectum, vel peccatum verum occultum detegere ad labefactandum ejus testimonium, v. g. quod antea fuerit deprehensus in mendacio, perjurio, modo hæc manifestatio sit utilis, & necessaria ad famam tuam defensionem, nec majorem ei infamiam pariat, quàm sit ea, quam tibi injustè parat. Quia 1. quisque habet Jus tuendi propriam famam, quam alter vult injustè adimere; nec ille est tunc rationabiliter invitus, cum cogat jâsum ad hoc medium necessarium. 2. Potes detegere crimen alterius ad impediendum grave damnum proprium, vel proximi: ergo multò magis id potes ad avertendum damnum, quod ipse criminofus tibi parat injustè inferre,

Illicita tamen est defensio immoderata propriæ

priæ famæ, ut si maiorem infamiam alteri inferas ad tuam minorem avertendam, nam esset inæqualitas, ideóque injustitia refarcienda.

Quòd si manifestatio alieni criminis non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem, sive quia potes eam aliter tueri ut testibus, juramento &c. Sive quia hæc revelatio ad tuam defensionem inutilis est; tunc illud detegendo peccas contra Justitiam, & teneris ad restitutionem: nam ille habet Jus ad famam, quamdiu ejus infamia, non est necessaria ad infamiam, quam tibi injustè infert, amovendam; & sine justâ causâ læderetur fama proximi, quod est intrinsecè malum: essetque mera vindicta. Sanchez, Molina, De Lugo, Lessius dicens hanc esse communioem sentent.

Resp. IV. Dum duo se mutuo infamârunt, & infamia utriusque æqualis est, si unus nolit famam alteri restituere, juxta multos alter non tenetur ad restitutionem, modo infamia prioris non redundet in alios. Prob. I. ex cap. ult. de Adulter. ibi: *Cum paria crimina compensatione mutua deleantur.* 2. Quia in rebus temporalibus, quando jura sunt paria, si alter nolit tibi servare Jus, & solvere debitum, nec tu teneris præstare, quod ei debes: est enim quædam justa defensio tui Juris, & compensatio boni tibi debiti. Fama autem est bonum temporale, cuius Domini sumus: unde uterque potest ob infamationem mutuam alter alteri restitutionem famæ condonare. Qui tamen

plus læsisset, tenetur ad restitutionem talis excessus infamiae, alioqui non reduceretur aequalitas. Item si altero volente tibi restituere, tu nolis idem ei præstare, peccas graviter contra Justitiam; quia es causa damni, quod is invitus patitur. Neque enim infamatio tua tollit infamiam ei illatam.

Q. 19. *An qui infamiam à se injustè illatam tollere nequit, tenetur pecuniâ compensare?*

Resp.. Multi negant eo quòd bona superioris ordinis nequeant restitui per bona inferioris ordinis: ac proinde tunc sit impotentia restituendi. Nam, inquit, justitia commutativa, quæ aequalitatem spectat, ac postulat, non obligat ad restitutionem, nisi res ablata reddi possit, vel in se, vel in æquivalenti saltem ex parte: at fama utpote bonum superioris ordinis ad pecuniam, non potest reddi in æquivalenti etiam ex parte per pecuniam. Alioqui bonum inferioris ordinis posset tandem per sui incrementum exæquare ex toto bonum superioris ordinis, ac proinde pecunia totam famam, contra illud Prob. 22. *Melius est nomen bonum quàm divitiæ multæ.* Igitur cum fama sit supra omne pretium, non est pretio æstimabilis, nec compensabilis.

Alii tamen cum S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. & 2. probabilius docent talem teneri compensare pecuniâ, vel piis suffragiis pro infamato oblatis, vel aliter arbitrio prudentis propter easdem

easdem rationes, ob quas dicunt pecuniam pro damno vitæ, vel membri restitui debere. *Vide dicta, parte 2. cap. 6. q. 6.*

Fateretur Lessius infamatorem teneri ex quadam æquitate, & etiam ex charitate infamiam pecunia compensare, si infamatus sit pauper, qui non videatur aliter mœrorem deponiturus, & infamator sit dives. Sicuti enim ratione alicujus conjunctionis, vel beneficii accepti, lex charitatis me magis obligat erga hunc, quam erga illum, ita etiam ratione alicujus incommodi, quod alteri intuli, magis teneor erga illum. Sed videtur hæc esse obligatio justitiæ, nam ex justitia depelli debet mœror injustè illatus, & in hoc casu pecunia est unica medium aptum ad eum tollendum.

Porro consentiunt omnes infamatorem, si per judicem condemnetur ad satisfactionem pecuniarum, teneri ex justitia illam præstare: quia suppositâ tali injuriâ judex habet jus eum ad talem satisfactionem condemnandi, in pœnam criminis; & dandi læso jus ad illam: idque etiam si fama esset recuperata, nam potest justâ pœnâ punire delicta etiam post damna facta. At quisque tenetur justæ sententiæ parere. Item si infamator transigat certâ pecuniæ summâ cum infamato, tenetur ex justitia eam tradere: nam hoc pactum est justum, cum infamatus possit certâ pecuniâ pacisci, ut cedat ius, quod habet ad accusandum infamatorem, & exigendam satisfactionem, ac restitio-

tutionem, cum erit possibilis, iuxta autem conventiones obligant ex iustitia.

Q. 20. An honor per contumeliam læsus restitui debet, & quomodo?

Resp. I. Qui iniuste alterius honorem læsit sive coram aliis, sive coram ipso solo, ex communi, tenetur ad restitutionem: quia fecit iniuriam contra iustitiam commutativam; & contumelia parit imminutionem dignitatis, & dolorem ac mœrorem, quæ per satisfactionem tolli debent. Item qui causam offensionis dedit proximo, tenetur, quantum potest, ipsum placare, & se ei reconciliare, ex Mat. 5. Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris; quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum, & vado prius reconciliari fratri tuo ... esto consentiens adversario tuo citò, &c.

Quòd si honor coram aliis læsus sit, debet apud illos omnes restitui, alioqui honor iniuste ablati non restitueretur ad æqualitatem. Si tamen læsus vindictam sumpserit de inhonorante, v. g. si eum percusserit, & hic id toleraverit, iuxta De Lugo non requiritur ordinariè ulterior satisfactio pro honore, nisi læsus sit multò superior: quia pro satisfactione videtur acceptare vindictam de se sumptam; & hoc ipso, quod alter vicissim non vindicat, censetur agnoscere suam culpam, & testari existi-

existimationem de læso. Deberetur tamen alia reparatio honoris apud alios testes iniuriæ, qui de hac vindicta sumpta nihil rescirent.

Resp. II. Si simul cum contumelia illata sit infamia, vel ex illa sequatur aliquod aliud damnum, tunc etiam cum fama resarciri debet damnum illud, quia lædens est illorum causa iniusta.

Resp. III. Ea adhiberi debet satisfactio, quæ prudentum iudicio spectatis omnibus circumstantiis, personæ lædentis, & læsæ dignitate, injuriæ gravitate, &c. Sufficiat ad reparandum honorem violatum: nam iustitia obligat ad satisfactionem æqualem offensæ, &c.

Varij autem assignantur satisfaciendi modi, scilicet exhibitio externa honoris, amica, & honorifica salutatio, ac compellatio, invitatio ad mensam, locum honorificum ibi dando; significatio doloris, veniæ petitio, & alia signa doloris, humiliationis, & reverentiæ erga offensum, &c. Rarò autem superiores tenentur veniam à subditis petere, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*, ait S. Aug. Epist. 109. Sed contumeliam ostensione majoris benevolentia, & peculiari honore, ac favore tollere possunt.

Not. Omissio honoris debiti superioribus, vel etiam æqualibus, est peccatum non solum contra observantiam, sed etiam contra iustitiam, ideòque obligat ad aliquam satisfactionem: quia hoc debitum rigorosum est; & omissio

omissio

omissio honoris debiti ubi, & quando debetur, est inhonoratio, ac contumelia interpretativa; nam per illam censetur lædi dignitas superioris, & honor æqualis: ut si transeunte prælato non aperias caput cæteris aperientibus, cense- ris eum contumeliâ afficere.

CAPUT V.

*De Injuriis in bonis, quæ dicuntur fortuna,
& necessaria restitutione.*

NOTA. Injuriam circa bona fortunæ com- plectuntur omnes damnificationes, seu actiones, & amissiones, quibus damnum in ejusmodi bonis injustè alteri infertur, sive rem ejus usurpando, accipiendo, detinendo, sive destruendo, sive deteriorando, sive exigendo id, quod non debetur, sive non solvendo id, quod ei debetur ex justitia, sive quovis alio modo. Quæ omnia sub nomine furti latè sumpti comprehenduntur, & prohibentur præcepto, *non furtum facies.* ex Conc. Colon. & Catech. Romano. *A parte enim totum significavit quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* ait S. Aug. in cap. *Pœnale* 14. q. 5. Et verò inferre quocumque modo damnum alteri, idem est, puod quidpiam ab ipso auferre; nam (ut ait Aristot.) damnum quempiam accipere idem est, quod minus habere, quàm habere debuit. Quare quæ dicuntur de furto i trictè sumpto,